

studio et solitudine indefessa prefate partes ab huiusmodi pravitate contagii — forsitan ibi fuerint — assistente divina gracia^{g)} expurgentur ac ibidem eiusdem^{h)} fidei catholice nitor in honorem dei ac incrementum soliditatem et statum prelibate fidei multipliciter solidetur et clarius elucescat. Cum dilecti filii Ludouicus de Caliga, Henricus de Agro, Weltherus Kerlinger, et Iohannes de Moneta ordinis fratrum Predicatorum ad exercendum huiusmodi inquisitionis officium fide dignis relatibus ydonei asserantur, de vestra fraternitate fiduciam in domino pleniorⁱ⁾ obtinentes, vobis predictos Ludouicum, Henricum, Weltherum, et Iohannem — si ad hoc ydoneos esse repereritis et ipsi ad hoc intendere poterunt; alioquin loco ipsorum et cuiuslibet eorundem alios ydoneos viros dicti ordinis, de quibus vestre circumspectioni videbitur, super quo vestram conscienciam oneramus — auctoritate nostra in Maguntin(ensi), Treverensi, Coloniensi, Salzeburgensi, Bremensi, Magdeburgensi, et Rigensi civitatibus diocesibus et provinciis, necnon Caminensi, Bambergensi, et Basiliensi civitatibus et diocesibus constituendi et etiam deputandi — eisque in virtuteⁱ⁾ obediencie in remissionem suorum peccaminum iniungendo, quod huiusmodi inquisitionis officium in eisdem civitatibus diocesibus et provinciis, per vos distinguendis et assignandis inquisitoribus ipsis, contra hereticos et fautores defensores ac receptatores eorum iuxta formam sacrorum canonum et auctoritatem, fratribus dicti ordinis inquisitoribus huiusmodi pravitate per eosdem canones et apostolicam sedem concessam et imposterum deputandis concedendam, solerter et solícite non postponant — ac eis illam potestatem et auctoritatem in eisdem civitatibus diocesibus et provinciis concedendi, que fratribus eiusdem ordinis inquisitoribus pravitate prefate in aliis locis et provinciis a iure vel dicta sede noscitur esse concessa, plenam vobis concedimus auctoritate presencium facultatem. Per huiusmodi autem constitutionem et deputationem per nos de prenomatis vel aliis personis in huiusmodi inquisitionis officio faciendis locorum ordinariis, quominus ipsi inquisitionis officium super labe pravitate predicte secundum canonicas sanctiones exercere valeant, nolumus preiudicium generari. Ceterum volumus et mandamus, quod predictas civitates dioceses et provincias — prout eidem circumspectioni vestre videbitur — distingatis ac eas secundum distinctionem huiusmodi singulis eisdem inquisitoribus assignetis. Dat(um) Avinion(e) V idus Octobris anno secundo.

^{g)} fehlt V ^{h)} davor durch Unterstreichen getilgt huiusmodi V ⁱ⁾ folgt sancte im Vergleichsbeispiel